DISSERTATIO JURIDICA

DE

IVDICE COMPETENTE LEGATORUM EORUMQUE COMITUM.

§. I.

Quicunque hactenus Iuris vniuerſalis commentationem ex inſtituto ſuſcepere, aut ob locatam egregie in Prudentia Civili operam, majorem nominis conſecuti ſunt celebritatem, vnanimi in eo conſpirant ſententia, illam eſſe rerum humanarum publicarumque imprimis faciem atque conditionem, vt, cum quam plurimae perfectiones alias comparatu impoſſibiles, vel majores perfectionum jamjam adeptarum gradus ab aliorum hominum

totarumque gentium auxilio dependeant, in nulla re magis, quam in mutua amicitia (a) & harmonia gentium inter se obtinenda, vi supremae in Republica legis, operam collocare conducat.

(a) *Non exercitus, neque thesauri praesidia regni sunt, verum amici*, inquit MICIPSA morti propinquus ad Ingurtham apud SALLUSTIUM *de bello Jugurth.*

§. II.

Et profecto, distinctis regnis summaque potestate, quae parentibus praesit, constituta, nullus reperitur populus, cui de sua salute & securitate sollicito non necesse sit cum aliis gentibus de illis rebus conferre, quae sibi proficuae esse videntur, & quae nocere possunt, per pacta & conuentiones aliaque media praecauere. Sic etenim nunc increscentes vicinorum populorum potentatus postulant, vt foedera ineantur ad laesionem forsitan imminentem fortuna ita ferente propulsandam. Nunc saeuus debellator commune genti discrimen & interitum minatur, nisi mature probatae pacis conditiones offerantur. Commerciis iterum vel in ruinam pronis, vel plane nondum dispositis salus rerum publica exigit, ut eum aliis agamus de iisdem pristino splendori siue restituendis, siue etiam denuo

in-

inſtituendis. Et quot demum reſtant negotia, quae nonniſi ope & auxilio aliorum Principum prius impetrato ad optatum perduci poſſunt finem? (*a*)

(*a*) Ex quo igitur hominum coetus firmandae ſecuritatis augendaeque felicitatis cauſa, in ciuitates coire colligique coeperunt, id accidit gentibus, quod ab humana ſeiungi nequit natura. Vt homini homo, ita gens genti plurimum & obeſſe poteſt, & prodeſſe, nullaque ciuitas ſalua eſſe poteſt atque incolumis, niſi aliae a laedendo abſtineant, mutuisque commodis prouehendis opem ferant auxiliatricem.

§. III.

Poſita itaque hac neceſſitate & obligatione populorum de foederibus, pace, commerciis aliisque ad communem ſecuritatem & publicam tranquillitatem pertinentibus humanitatis & iuſtitiae officiis inter ſe communicandi, (§. 2.) ponitur etiam neceſſitas eiusmodi mediorum curam habendi, ſine quibus dicta negotia commode expediri non poſſunt. Verumenimvero quisnam Principi auctor ſuaſorque erit, vt quacunque de cauſa ſuis egrediatur terris, & ad loca diſſita proficiſcatur? Periculoſi certe fuere ſemper Regum Principumque congreſſus.

Quanta ſecum mala trahant ciuitatum Rectorum conuentus, prolixe exponit COMINAEVS *Lib. XIII.* de Ludovico XI. Galliarum Rege, vbi plurimis recenſitis exemplis ita tandem concludit: *Sic igitur exiſtimo, debere principes a congreſſibus abſtinere, modo ſaluum eſſe velint, & inte-*

gram amicitiam. Quocum ſentit BOECLER *in diſſert. de colloquiis, & congreſſibus Principum,* quae eſt XXXV. in Tomo I. diſſert. vbi pag. 1025. ait: *optima prudentiae pars eſt, colloquia huius generis neque ſuaderi, neque ſuſcipi oportere, niſi prouiſis, deliberatisque rationibus, quibus pericula declinentur, & ſucceſſus promoueantur.* Architectonicum regium munus vocat HOPPERUS *de Inſtitut. Princip* ſic, vt non tam ipſe agat, quam aliis agentibus praeſideat. Itane, inquis, diademata arce & carcere includenda? Minime. Hoc tantum dico, illa in alienis regnis negotiari Maieſtati inconueniens, & periculoſum eſſe. Colliqui enim ſaepe collidi eſt. Hinc cum ſtellis Principes confert MARSELAER *lib. I. de legat. diſſert. 4.* quae ſi extra ſphaeram ſuam dimouerentur, lucem ſuam amiſſuras credibile eſt. *Conf.* SAAVEDR. *in idea Principis Chriſtiani, Symb. LVIII.* FORSTNER *in not. polit. ad lib. XV. Annal. Taciti.* PICCART. *lib. II. obſeruat. VII.* APOLLINAR. CALDERIN. *diſcur. polit. cap. IV.* KNICHEN. *in oper. polit. lib. II. part. II. Sect. I. th. VI. explic. XI. fol. 799.*

§. IV.

Quamuis autem non deſint exempla Principum, qui adhibitis cautelis (*a*) felicem inſtituerunt congreſſum, vti de fratribus Friderico, & Guilielmo, Saxoniae ducibus, meminit CAMERAR; (*b*) tamen negotia domi peragenda ob difficillimum Rectoris munus adeo ardua ſunt, (*c*) vt iis alterius fidei, et dexteritati (quae dubia et rara, quando occaſio et ſpes dominandi ad alia omnia ſtimulat) commiſſis diu, quod tamen requiritur, domo abeſſe Princeps non poſſit, et ſi vel maxime

xime illis posthabitis posset, atque vellet, non posset tamen vno eodemque tempore vbique gentium suae gentis orare causam, quum id non apud vnam, neque vicinas tantum, sed et longinquas et plurimas gentes, et quidem simul fieri intersit, quia omnes nocere possunt et prodesse.

(*a*) De cautelis Principum circa colloquia, et congressus mutuos elegantem scripsit dissertationem JAC. THOMAS.

(*b*) *Cent. III. in horis succisiu. Cap. XLIII. pag.* 146. Sic etiam Galliae historia illustria regiorum conuentuum exempla memoriae prodidit, LUDOVICI XII. et FERDINANDI CATHOLICI Hispaniarum Regis, THUANUS *lib. I. C. II. Edit. Londin. Tom. I. p.* 7. FRANCISCI *I.* et HENRICI VIII. Angliae Regis, HENAUT *Abregé chronologique.* Vt alia silentio praeteream celebratissimum nostro seculo exemplum dederunt tres potentissimi Reges in Brandenburgica, quae Potsdami est, arce, Anno 1709. in mutuos congressi amplexus, in cuius memoriam excusum prodiit numisma, in vno latere optimorum Principum effigies, et nomina triangulo Maiestatico, in altero hanc exhibens inscriptionem:

Quod tres
in amplexus
mutuos coierint
Reges
tanquam Regium trium
Fridericorum
Reseruatum, aetas nostra
notet, posteritas
admiretur.
M. DCC. IX.

(c) *Arduum et ſubiectum fortunae cuncta regendi onus eſt*, inquit TACIT. *lib. I. Annal. Cap. XI.* Et Chriſtina Sueciae Regina, quum regnum abdicatum Carolo Guſtauo traderet, difficillimum iamiam munus eum ſuſceptum ire dixit, memorante PUFFEND. *lib. XXVI. Commentar. de rebus Suecic. §. 34. fol.* 1063. Plura, ſi volupe eſt, vide apud LAMPAD. *de Republ. Germ. part. I. n. XLIX.* ZIEGLER *de jurib. Majeſtat. lib. I. Cap. XXXI. n. I.* et KNICHEN *cit. oper. polit. lib. III. part. II. Sect. I. th. I. fol. 723.*

§. V.

Litterarum porro commercium, etſi multis utiliter adhiberi poſſit neceſſitatibus, plerisque tamen gentium negotiis ſolum eo minus ſufficit, quo magis praeſentiam poſtulant res grauiores et impeditiores, ſenſim captisque ex temporis et circumſtantiarum viciſſitudine conſiliis, ad exitum perducendae. Conſultiſſimum igitur, imo et neceſſarium eſt alios ſubſtituere idoneos homines, qui ſuccedant vicarii Principis apud exteras gentes in munus, ibique illius auctoritate (*a*) et iure negotia quaeuis expedienda peragant, quales dicere conſueuimus *legatos*.

(*a*) Hinc CICERO *orat.* 51. *ſeu Philipp. 8.* de Popilio populi Romani legato ita ſcite loquitur: *Senatus faciem ſecum adtulerat, auctoritatem Reipublicae.* Eodem fere modo TACITVS *Lib. I. Hiſtor.* de legatis Galbae ait: *quod legati auctoritatem Senatus, dignationem Caeſaris referre debuerint.* Neceſſitate igitur et vtilitate rerumpublicarum vſum legatorum exigente, antiquiſſimam horum eſſe originem patet. Notatu digniſ-

dignissima hac de re profert ALBERICUS GENTILIS ICtus Anglicanus *in tract. de legation. lib. I. c. 20.* et FRANCISCUS LE VAYER ICtus et in suprema Curia Parisiensium Aduocatus *in lib. de legatione legatorumque officio c. 1.*

§. VI.

Sunt itaque LEGATI *personae, quibus tanquam subditis gentes sua negotia cum aliis gentibus coram et solenniter gerenda committunt.* (a) Eum scilicet inter gentes legatum recte dicimus, quem gens genti, imperans imperanti gentium jure mittit: quae autem inter principem eiusque potestati subditos; quae inter ciues ciuili discordia seiunctos; quae cum priuatis hominibus per nuncios (b) atque missos voluntatis interpretes peraguntur, haec non ab illo, quo gentes liberae inuicem vtuntur, sed ab interno ciuitatum publico priuatoque jure dependent.

(a) Varia est apud veteres vocis legati acceptio, nam et vsurpatur pro iis, qui exercitibus praeerant, interque hos, qui Principis siue Imperatoris partibus in administrandis bellis, regendisque exercitibus fungebantur, *legati consulares* dicti; vti illi *Praetorii et legati legionum*, qui singulis legionibus praefecti; *Confer.* TACITUM *in Agricola cap. VII.* Eos quoque legatos dicebant, qui Proconsulum Prouinciarum absentium vices gerebaut, et jurisdictione vicaria vtebantur. *L. 13. D. de officio Proconsulis et l. 1. §. 1. de officio eius, cui mandata est jurisdictio.* Hanc legati vocis acceptionem confirmat C. NEPOS *in vita Attici cap. VII.* Vbi *multorum consulum Praetorumque*, inquit, *praefecturas delatas sic*

accepit, vt neminem in prouinciam sit secutus, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, quum apud eum LEGATI *locum obtinere possit.* Ceterum illud moneo, legatos olim oratores adpellari solitos fuisse, vti ex Virgilii Aeneid. lib. II. est colligere: *centum* ORATORES, inquit ibi Aeneas, *Augusta ad moenia Regis ire iubet.* Quod nomen juxta FESTUM *lib. XIII.* illi potissimum conueniebat, qui princeps legationis erat, siue ipse verba faceret, siue per alium fieri curaret. A praecipuo igitur legatorum officio plures dicebantur oratores, licet vni tantum hoc munus fuerit delegatum.

(b) Pro legato NUNCIUM Virgilius dixit, cum Turnum ita facit loquentem *XII. Aeneid. v. 75. Nuncius haec Idmon Phrygio mea dicta Tyranno* (Aeneae) *haud placitura refer.* Sic. Virgilium interpretatur ALBERIC. GENTIL. *lib. II.* qui Ciceronem quoque et Liuium huc aduocat.

§. VII.

Vnde jam facili negotio cognosci poterit, qua ratione differant a legatis veri nominis *agentes*, *deputati*, et *commissarii.* Illi enim ciues sunt territorii, in quo degunt, qui negotia imperii, vel conciuium priuata ex mandato curant, nec gentium, sed ciuili iure viuunt, adeoque legati nulla ratione sunt, sed mandantium procuratores; isti vero a subditis ad imperantem, et hi ab imperante ad subditos mittuntur. *vid.* LIVIVS *VI. 7.*

De Imperatoris in comitiis commissario principali et concommissario, eiusque in aliis Imperii conuentibus et negotiis commissariis, aeque ac de statuum ad ea comitia et conuentus legatis quibuscunque, non solo gentium, sed praecipue publi-

publico imperii iure iudicari debet; vnde in disputatione iuris gentium his non immoramur.

§. VIII.

Ex ea, quam dedimus, legati definitione (§. 6.) non obscurum esse arbitramur I. legatorum nomine haud censeri eos, qui subditi nullo modo sunt eius gentis, cuius agunt internuncios, nec, qui subditi quidem sunt, et negotia gentis externa tractant, sed in territorio, nec denique, qui extra territorium res agunt suae gentis, sed sine solenni mandato; II. missionem in legatis non semper requiri, siquidem nonnunquam ii eliguntur, qui degunt in territorio gentis, cum qua tractare jubentur; et quoniam clerici (a) et foeminae (b) etiam subditorum numero continentur, III. iis quoque legationis prouinciam demandari posse, verisimilius est.

(a) Clericos quidem ab hac functione plane arcent, quod ipsis non conuenit secularibus negotiis se immiscere *c. 7. X. de offic. iud. ord.* quod tamen cum distinctione accipiendum, quum satius sit quosdam eorum ob varias rationes politicas admitti, quemadmodum optima rerum magistra quotidiana nos edocet experientia. Sic inter caesareos legatos ad tractatus pacis Noviomagensis fuit Episcopus Gurcensis. Persarum quoque regem hunc morem seruare patet ex OLEAR. Persische Reichsbeschr. *lib. IV. c. 11. pag. 379.* Quam vtiliter Ferdinandus Catholicus eorum opera in negotiis publicis vsus sit, testatur WICQUEFORT. *de l'Ambassad. lib. I. Sect. 9.*

(b)

(b) Foeminas, quae ad clauum Reipublicae ſedent, et poteſtatem ſummam obtinent, ad alios Principes legatos mittere poſſe, nemo plane dubitat. Exemplis non deſtituitur hiſtoria tam antiqua, quam noua in Semiramide, Eliſabetha Angliae, Maria Scotiae, Chriſtina Sueciae, Margaretha Daniae Reginis, aliisque. Verum an et ipſae legationes in ſe ſuſcipere queant, altioris fortaſſis eſt indaginis. Pro adfirmatiua vtpote mihi probabiliori pugnant exempla, quae paſſim apud hiſtoricos reperiuntur. Sic illuſtris coniux comitis Königsmarchii ad Auguſtum II. Poloniae regem legationis prouinciam in ſe ſuſcepit; ſic quoque vxor Mareſchalli de Guebriant magna cum laude legationis munere functa eſt, memorante FRID. CAR. MOSERO in opere ſuo, cui titulus: Die Geſandtin nach ihren Rechten und Pflichten *cap. I.* §. 4. im dritten Band ſeiner kleinen Schriften.

§. IX.

Tam procurator quam miniſter publicus negotia ſibi commiſſa non proprio, ſed Principis committentis iure, et nomine adminiſtrant, & eatenus illius ſuſtinent perſonam, quam in rebus ſuae curae demandatis repraeſentant, atque iſta repraeſentationis qualitas legati *characterem*, quem vocant *repraeſentatitium*, conſtituit. Eſt autem haec vis repraeſentandi alia *generalis*, et communis omnibus legatis, quae nimirum a ratione ſolius negotii, alia *ſpecialis* et arbitraria, quae ſimul a ratione dignitatis mittentis, miſſi, et mittendi modo deriuatur. (a) Hinc legato Principis perſonam repraeſentan-

ti

ti in negotiis expediendis, ceterisque ipsi competentibus iuribus, exceptis praerogatiuis, cerimoniis, et honoribus personae ipsius domini praesentis debitis, tribuitur character repraesentatitius *generalis*; contra qui facultate personam, et simul dignitatem Principis mittentis ferendi gaudent, charactere repraesentatio *speciali* ornati dicuntur, atque iidem illis deferuntur honores, (b) quibus exciperetur mittens, si praesens esset; quin imo domini sui loco habentur, quousque excelsa ablegantis dignitas et consuetudinis publicae ratio domino ministrum succedere patitur. (c)

(a) Magno consensu recentiores de legatis et legationibus scriptores diuisionem hanc vsui consentaneam agnoscunt, vt inutile sit laudare consentientes. Caue itaque generalem, et omnibus legatis communem characterem repraesentatitium confundas cum speciali illo, qui mera honoris praeeminentis signa complectitur. Omnis legatus repraesentat suum imperantem in *agendo*; legatus autem speciali charactere instructus simul in *dignitate* et *honoribus*, quatenus, vt jam innuimus, id fert ratio, et consuetudo. *vid.* GUNDLING. *J. N. et G. cap. XXXVI. §. 163. et 203.* ICKSTATT. *Jus Gentium.* Vnde facile deprehendes errorem HENRICI COCCEII *in dissert. de repraesentatitia legatorum qualitate §. 7.* BUTTNERI *in cursu philosoph.* et quidem *in Jur. Nat. §. 415.* aliorumque, qui atro carbone notant argumentationem a charactere repraesentatitio ad iura legatorum, existimantes, hoc modo priuari secundi ordinis legatos iuribus, quae alias legatis tantum non omnibus adscribuntur,

dum

dum character respiceret saltem legatos primi ordinis. Confer potius libellum, quem legatus Suecicus in comitiis imperii, iussu Regis sui Anno 1724 legatis ibidem congregatis exhibuit, sub titulo: Pro memoria, so der *in comitiis* zu Regenspurg befindliche königl. Schwedisch. Gesandter der Hochlöblichen Reichsversammlung, wegen der an dem königl. Preussischen Hof zu Berlin erfolgten arrestirung des allda subsistirenden königl. Extraordinair-Envoye, Grafens Posset, insinuiret. Cui petitum sub finem subiungitur: Ihres Orthes mit daran zu seyn, daß Sr. königl. Majestät zu Schweden, als welche in dero *Ministri* Person so empfindlich angegriffen worden, eine zulängliche, und billige satisfaction diesfalls gegeben werde. *vid.* Staats-Canzley *Tom XLIII. p. 742.*

(*b*) Peculiares praerogatiuae et honores legatorum charactere repraesentatitio speciali instructorum sunt: 1mo Titulus Excellentiae. 2do Solennis introitus. 3tio Solennis audientia. 4to. Ius tegendi caput in solenni audientia coram Rege, ad quem missus est. 5to. Honos primae visitationis. 6to. Honos manus dexterae seu praecedentiae in domo propria. 7mo. Honos sellae honorariae. 8vo. Dignior habitatio.

(*c*) Notanter diximus, *quousque dignitas ablegantis et consuetudinis publicae ratio domino ministrum succedere patitur.* Repraesentat enim legatus Principem non in totum, sed in tantum, et Princeps alterius Principis vel aequalis, vel etiam dignitate superioris legato non facile cedit, quod in nostro S. R. I. etiam seruatur, vbi praesentes Electores legatis absentium praeferuntur, vtut hi alias Ius praecedentiae habeant.

§. X.

His praestructis pronum est intelligere varias legatorum differentias. Qui enim personam et dignitatem mittentis re-

repraesentant cum charactere speciali, illi legati *primi ordinis*, gallico idiomate *Ambassadeurs*, germanico Bothschafter vocantur. Qui vero charactere repraesentatitio generali contenti esse debent, *secundi ordinis* legatos constituunt et Gallis *Envoyés*, nobis germanis Gesandte audiunt. Porro aliis certi cuiusdam negotii gestio, veluti celebratio nuptiarum, commissa est; alii autem variis obuenientibus rebus adhibentur, et animo residendi apud gentem veniunt: illi *extraordinarii* et temporales, hi *ordinarii* et adsidui dicuntur, ac nonnullis iuris publici scriptoribus *Residentium* nomine venire solent. Et quamuis eam olim residentis acceptionem fuisse non negauerim, quum tamen nostro aeuo residentes ab ablegatis ordinariis in quibusdam saltim aulis distinguatur, (*a*) nec iisdem, quibus ablegati ordinarii fruantur honorum praerogatiuis, quidquid PRESBEUTA in contrarium dicat; (*b*) *tertium* eorum *ordinem* cum Vatellio (*c*) constituere non dubitamus.

(*a*) *Vid.* JOAN. JAC. MOSERI Europäisches Völkerrecht in Friedenszeiten *lib. 3. cap. 1. §. 28.*

(*b*) *In discursu de iure legationis statuum imperii §. 63.*

(*c*) *Lib. 4. cap. 6. §. 73. conf.* quoque GOTTFR. STIEBR Europäisches Hofceremoniel *part. 3. cap.*

cap. 9. qui tamen in eo errat, quod characterem residentibus omnino deneget.

§. XI.

Quum praeterea omnes legati aut concludendi, quae ad salutem reipublicae pertinere videbuntur, publico nomine, aut priuata Principum negotia tractandi potestate instructi sint, vlteriores eorum differentiae ex discrimine concessae potestatis deriuandae sunt. Potestas illa vel *limitata*, vel *illimitata* esse potest; quos illimitata gaudere potestate, id est libertatem tractandi, et concludendi plenam habere litterae credentiales demonstrant, *plenipotentiarios*, (*a*) ceteros *formularios* adpellare in mores iuit. Reliquas, quae inter legatos adsignari solent, differentias cognituros ad auctores, (*b*) qui de his commentati sunt, remitto; mihi sufficit eas euoluisse, quae vsui sunt in sequentibus futurae.

(*a*) Plenipotentiarii adpellationem proprie non ad legati dignitatem, sed ad facultatem de rebus ipsi mandatis cum aliis agendi et transigendi spectare, ex data definitione luculenter adparet; vnde *primi ordinis* legatum, nisi praeterea proprium ei ordini nomen addatur, haud efficiet, sed ea sola insignem, legatis *secundi ordinis* miscet; quamobrem, quum missos Hispanorum ad conuentus Westphalicos legatos solo Plenipotentiariorum, mandatum adpellaret, primi ordinis legatis misceri, et pari illis honore frui, antequam Ambasciatores nominarentur, non potuerant. *Vid.* GAERTNERI

West-

Westphälische Friedenskanzley *Tom. II. N. CCXLII. p. 671.* et MEIERN *Acta pacis Westphalicae Tom. I. lib. II. §. 39. p. 197.*

(b) Plura de variis his legatorum generibus et differentiis differentem vide CAESARINUM FÜRSTENERIUM, quo nomine LEIBNITIUS voluisse latere creditur, in tractatu *de jure suprematus Principum Germaniae cap. VI. et VII.* NICOLAUM LUDOV. DE SCHARDEN. *in Dissert. de juribus legatorum c. I. §. 6. et seqq.* PETRUM MÜLLERUM *in Dissert. de legatis primi ordinis.* JUST. CHRISTPH. DITHMARUM *de legatis primi et secundi ordinis.* De jure praecedentiae inter legatos controuerso *vid.* CRUSIUS *de jure proëdriae*, quibus adjungi meretur JACOBI BRUNNEMANI dissertatio *de jure ceremoniali circa legatos.*

§. XII.

Quamuis vero non vnius eiusdemque generis sint legati, sed pro diuersitate tum dignitatis (§. 10.) tum potestatis (§. 11.) diuersi, eadem tamen omnium sunt requisita, quippe ea et ingenii praestantia, et morum probitate omnes excellere debent, quam muneris difficillimi ratio postulat. (*a*) Neutiquam igitur sola generis nobilitas, opum potentia, et formae aptitudo, bona ceteroquin maxima, (*b*) legati dignitatem absoluunt, sed artium optimarum scientia, agendique dexteritas, cum decoris virtutibus coniunctae, in legatione rite obeunda primas tenent.

(a) Hoc arduum illud munus est, quo ego omnes contineri artes, omnes includi virtutes, neque certius

argumentum ſummi viri arbitror, fuſos hoſtes, expugnatas vrbes, conſtitutam pacem, quam obitas ex dignitate et vſu publico LEGATIONES, inquit BOECLER. *in orat. fun. Octavio Schmidio dicta p. 134.*

(b) A generis quidem nobilitate multum ſplendoris legationi accedere, vel inde patet, quia legatus, praecipue primi ordinis, non ſolum Principis ſui imaginem, vel ut Cicero loquitur, reipublicae faciem referre debet, ſed cum Principibus etiam ſummisque miniſtris negotia tractare, adeoque auctoritate et dignitate valere, ne magnifici, quo fungitur, muneris ſanctimonium perſonae vilitate obſuſcet. Quanto dedecori fuerit LUDOVICO XI, quod tonſorem Oliuerium legatum ſuum conſtituerit, ex COMINAEO exponit PELZHOFFER *lib. IV. Arcan. ſtatus pag. 25.* Diuitias autem et opes legatum in tot, tantisque ſumtibus legationi impendendis omnino juuare dubio caret: quippe opulentiae vires, fidei imprimis legati conſulunt, ne ſcilicet neceſſitas alieno auro fidem vendere eum inducat; Principis quoque auctoritas ab ea non parum accipiet incrementi, ſcribit BOECLER. *in cit. diſſert. p. 392. in Tom. III. diſſ.* Quantam denique commendationem legato formae aptitudo, et perſonae dignitas conciliare valeat, ſcriptores paſſim docent. „ Nam „ diſplicet ſententia, oratio, res omnis, cuius „ perſona diſplicet, et ideo multi plus praeſidii „ in beneuolentia Principis, quam in eloquentia, „ aliaque virtute legati collocarunt, inquit „ MARSELAER *l. I. de legat. diſſert. XX.*

§. XIII.

Genus eſt ſimilitudo ſpecierum, et hinc in notione generis ſpecies debent inter ſe conuenire; inde ſequitur, quidquid valet de genere, id etiam valere de omni-

nibus ſpeciebus ſub illo genere contentis. (*a*) Jam vero quum data legati definitio (§. 6.) includat legatos primi et ſecundi ordinis, ordinarios, et extraordinarios, plenipotentiarios, ac formularios aliosque, quibus inter gentes cura negotiorum publicorum demandata, omnia etiam jura, (b) quae de legatis in genere praedicantur, dictis nuntiis adplicanda eſſe, facile patet. Quae eo pertinent, ut ſciamus in quaeſtione, quam nunc excutimus, nihil intereſſe, quaecunqne legatorum ſint nomina, quamuis pro mittentis et miſſi dignitate ac titulo alius, atque alius legatis habeatur honor.

(*a*) *Log. Cl: Wolffii germ. C. I. §. 19.*

(b). Jura legationum recenſere haud eſſet difficile, niſi rem a tot, tantisque ſcriptoribus antehac tractatam, et fere protritam denuo repetere, et crambem bis coctam apponere ducerem ſuperuacaneum. Interim *conf.* CHRISTOPH. BESOLDUS *de legatis, eorumque jure.* CAROLUS PASCALIS *de legato*: RICHARDUS ZOUCHBUS *de jure feciali inter gentes*, item, *de legati delinquentis judice*, potiſſimum vero ABRAHAMI WICQUEFORTII induſtria laudanda *en ſon Ambaſſadeur* quem librum gallica lingua ſcriptum germanica verſione, ſed minus probata donauit JO. LEONH. SAUTERUS Lipſiae 1682. Vſum porro inſignem praebet GREGORII LETII *ceremoniale politicum.* Mihi jamiam ſufficiat docere, quatenus id inſtitutum noſtrum exigit, hoc eſt, quatenus exinde ad immunitatem legatorum eorumque comitum ab omni extranea jurisdictione argumentari licet, Legatos non ſubeſſe jurisdictioni rerumpublicarum, et impe-

rantium, apud quos legationem obeunt contra FRIDERICUM de MARSELAER *de legato*. HENRICUM COCCEIUM in binis dissertationibus : *de legato sancto non impuni*, et *de fundata in territorio et plur. loc. Concurr. potest.* JAC. AUG. FRANKENSTEINIUM *de jure legat. dubio.* NICOL. LUDOU. DE SCHARDEN *d. l.* et praecipue PRESBEUTAM *cit. loc.*

§. XIV.

Identitas quantitatis rerum duarum, vel plurium aequalitas, contra diuersitas illius inaequalitas dicitur ; hinc statum aequalem illum esse constat, in quo aequalia jura deprehenduntur. Jam vero quum in communi hominis essentia atque natura, quae in omnibus eadem est, idonea, et sufficiens jurium connatorum ratio reperiatur, satis inde liquet: jura connata tam stricte talia, quam permissiua in quolibet homine eadem esse debere, et proin nemini, absolute spectato, maiorem vel minorem jurium numerum aut gradum competere posse, atque ideo statum naturalem esse statum aequalitatis, omnis inaequalitatis expertem.

Quare non satis adcuratus est KOELERUS, dum putat, inter homines similitudinem vnice respici, non quantum, et fingi aequalitatem, quod ignoretur inaequalitas, *Exercit.* §. *890.* veram enim aequalitatem de iis posse cogitari, ex data definitione colligitur.

§. XV.

Jus actiones liberas entis intelligentis pro suo arbitrio ad certum quemdam finem

nem determinandi, *imperium* nuncupatur, (*a*) quocum, ne omnia alias fiant incassum, coniuncta potestas consectarium malum cum actione libera copulandi, hoc est, poenam in contrauenientes statuendi, quique hoc jure gaudet, *superior* audit. Facultatem autem, siue jus leges ad facta ciuium adplicandi *jurisdictionem* voco. Si porro determines, quod leges disponant vel de meo et tuo, vel de puniendis criminibus, intelliges, quid sit jurisdictio *ciuilis*, quid *criminalis*.

(*a*) Videatur vir Perillustris, et eximiae prorsus eruditionis ANTONIUS CAROLUS DE MARTINI Sac. Caes. Regiaeque Maiestati a consiliis aulicis et in celeberrima Vniuersitate Vindobonensi Jur. Nat. et Inst. Professor publicus ordinarius, *in suis Exercit. de lege naturali cap. IV. §. 141.* Latiore significatione, et de rebus inanimatis enunciauit CICERO *imperium*, *sine quo*, inquit, *nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria terraeque, et hominum vita, jussis supremae legis obtemperat. De L. lib. III. I.*

§. XVI.

Ex immunitate ab omni imperio et jurisdictione oritur libertas naturalis, quae est independentia actionum nostrarum ab imperio humano. (*a*) Hinc si homines alterius jurisdictioni subiiciantur, eorum status, & libertas naturalis vel destruitur, vel limitatur. Quia vero in statu

naturali tanquam ſtatu aequali (§. 14) omne imperium et iurisdictio negatur, facile colliges, neminem ſuperiorem in eodem ſtatu et capacem eſſe conſectarium malum vtpote motiuum cum certis actionibus coniungendi, nec vllum in hoc ſtatu dari judicium, vbi alter ab altero expectare teneatur ſententiam rei definitiuam, ſed cujuslibet actiones independentes eſſe ab alterius arbitrio. Quum itaque ex ſola natura ſuperior, et judex concipi nequeat, factum alterius obligatorium tantum eſt, quod continet rationes imperii et jurisdictionis juſtificas: vi regulae illius juris naturalis: *id, quod noſtrum eſt, non niſi facto noſtro in alterum transferri poteſt.*

(*a*) Non ſine cauſa dixi, libertatem naturalem eſſe independentiam actionum noſtrarum ab imperio *humano*. Nam quum in communi hominum natura poſitum ſit, atque infixum, ut quisque actiones ſuas ad nutum diuinae voluntatis componere teneatur, omnes eatenus in naturali, ac neceſſaria ſubjectione viuimus, atque a commuri Dei ſuperioris noſtri imperio, et poteſtate omnino pendemus.

§. XVII.

Diuerſae respublicae induunt naturam perſonarum moralium in ſtatu naturali. Eadem ergo officia inuicem obſeruare debent, quae ſinguli homines in ſtatu naturali, vbi rationes nulli reddere tenentur,

niſi

nisi soli Deo, qua ex causa *liberae* vocantur gentes. Quoniam igitur Magistratus rempublicam repraesentant, summi Imperantes quoque intuitu aliorum Principum in naturali libertate viuunt, hincque status naturalis tantum dat normam regulatiuam eorundem actionibus. Id quod testatur et experientia, et summorum Doctorum cohors.

Verba Wolffii adduxisse satis est in den Gedanken von der Menschen Thun, und Lassen §. 863. Einmal ist gewiß, daß große Herren unter einander in der natürlichen Freyheit leben, und dannenhero in ihren Handlungen gegen einander darnach müßen beurtheilet werden.

§. XVIII

Rem, qua alterum jamjam a natura instructum deprehendimus, τῷ suum connatum vocamus. Quum ergo aequalitas et libertas naturalis ex statu, in quo homines qua tales a natura collocantur, descendat, (§. 14. 16.) eam ad id, quod nostrum connatum dicitur, referimus, in cuius vsu alterum turbare eo minus licebit, quo magis cuique notum est, violationem τῷ sui, et ex consequenti violationem aequalitatis et libertatis naturalis hominum in statu naturali viventium laesionem in se continere. Summorum imperantium libertas naturalis itaque absque laesione τῷ sui neque tolli potest, neque restringi

(§. 16.) ſiue id fiat per imperium, ſiue per jurisdictionem quamcunque. (§. 15.)

§. XIX.

His praemiſſis perſpicuum eſſe arbitror, in ſtatu naturali ſuperiorem, et judicem non poſſe concipi, niſi ex ſolo facto alterius obligatorio rationes jurisdictionis juſtificas continente. Quum autem factum obligatorium conſtituat pactum vel expreſſum vel tacitum, et prius per hypotheſin ceſſet, poſterius autem talia requirat facta, ex quibus voluntas alterius ſecure inferri poſſit ob nexum, qui factis eiusmodi cum voluntate agentis intercedit: quo, quaeſo, pacto ſola ingreſſio in alterius territorium in ſtatu naturali cauſa erit ſufficiens huius mutationis, quod Princeps extraneus poſt ingreſſum exuat ſtatum naturalem, et hinc non amplius libertatis naturalis ſit particeps? Quamobrem cum eadem poſita ratione, ponatur etiam id, quod per eandem determinatur, dubium non eſt, quin ſummis imperantibus, licet in alieno territorio verſentur, ſalua maneat libertas naturalis, ſalua immunitas ab omni imperio et jurisdictione. Anguſta ſane foret Maieſtas Principis, quae incluſa Principatus ſui cancellis, et multo inferior, quam patrisfamilias, et domini, qui tales eſſe non deſinunt, etſi non

ſint

ſint domi. Si vero vt aequalis conſiderandus cum domino territorii, ei quoque ex jure, quod omnium hominum eſt, tribuendum erit id, quod ſuum eſt. (*a*)

(*a*) Equidem poſtquam territoria et regna certis circumſcripta ſunt limitibus, vbique auditur adquiſito dominio adquiſitor, inſimul omnes dominii effectus, et hinc cuiusuis territorii dominus fundatam habet poteſtatem in omnia, quae eius finibus continentur, adeoque in eas quoque perſonas, quae ad tempus ibidem commorantur ſubditi *temporarii* inde dictae. Vnde ad poteſtatem domini territorii in Principes extraneos quoque in ipſius tractibus commorantes recte procedere argumentationem ſibi perſuadent. *Vid.* Coccejj *diſſ. de fundata in terr. poteſt. C. 2. §. 6. in fin.* Verumenimuero, ſi quis eo, quod ſuum eſt, ita vti velit, vt violetur noſtrum, eiusmodi vſus laeſionem inuoluit. Jam quum independentia actionum ſummorum imperantium ab alterius imperio et jurisdictione ad τὸ ſuum imperantium ſpectet (§. 16. 18.) eiusmodi affectatione imperii imperantes laederentur. Hoc itaque caſu imperium et jurisdictio locum habere non poteſt. Puto nimirum regulam illam ad priuatos tantum pertinere et ad eos, qui imperii et jurisdictionis ſunt patientes, non ſummos principes; quippe quum utrumque praeſupponat perſonas, quibus jubendo ad obſequendum obligatio imponi poteſt, quales ſummos imperantes non eſſe hactenus oſtenſum. Et fac denique dictae regulae aliqualem hic allegari poſſe vſum, incidimus tamen in propoſitionem alteram, quod imperantes intuitu aliorum Principum independentium in ſtatu naturali viuant, vbi ſuarum quisque actionum eſt arbiter, neque adeo ulli tenetur rationes redere, niſi Deo, et conſcientiae. Colliduntur igitur jura, adeoque ab vno exceptio facienda (§. 510. *ontol. lat.* Wolff) quae ita fieri debet, juxta demon-

ſtrationem modo laudati WOLFFII *in §. 166. Metaph. germ.* vt maior in toto conſeruetur perfectio, conſequenter hic minimum laeſionis et incommodi ſuperſit periculum. A quonam autem hic fieri debeat exceptio, quilibet vel me tacente facile diiudicabit.

§. XX.

Quum vero jura alterius reipublicae abſque cauſa belli juſtifica violare non liceat (§. 18.) nemini non conſtat, quod ſi Princeps in aliena ditione res nouas moliatur, et factiones concitet, ſi in vitam, in bona, in pudicitiam non ſuorum tantum, ſed et ciuium eius territorii, in quo degit, irruat, *nec ſecus atque hoſtis capta graſſetur in vrbe*: partim tunc reuiuiſcere jura, quae hoſti in hoſtem competant, partim, vt jubeatur territorio excedere, optimum maximumque eſſe.

§. XXI.

In comitatu Principis eſſe dicuntur, qui ad inſtruendum regium, vel principalem adparatum Principem ſequuntur, eique ab officio ſunt. Ex quo manifeſte colligitur Principem, et eius comites reſpectum inuicem habere, vt principale, et acceſſorium, atque ex perſona illius diiudicandum eſſe, quid juris circa ejus comites. Principi in alieno territorio commoranti idem remanet jus, eademque immunitas, qua extra territorium

eſt

eſt gauiſus, hincque in eum territorii dominus adfectare non poteſt imperium, neque jurisdictionem. (§. 18. 19.) Ergo etiam, qui in eius ſunt comitatu, forum priſtinum non mutant, ſed immunes ab omni jurisdictione ejus loci cenſentur, ſolam ſui Principis jurisdictionem ſubeuntes.

Ridicula mihi videtur ſententia eorum, qui ipſum Principem quidem a jurisdictione ejus loci, in quo moratur, eximunt, ipſius comites autem eidem ſubiiciunt, eo ipſo principali dignitati denegando, quod in priuato, et viliſſimo quouis juris eſt. Taceo, quod, licet paterfamilias, ceu perſona priuata jurisdictione proprie ſic dicta deſtituatur, nihilominus tamen huic analogum quid referat, leuioribus domeſticorum et famulorum admiſſis priuatae ipſius animaduerſioni relictis, certe comites non tantum Reipublicae cauſa abſentium, ſed et aliorum eodem cum his jure vti, probauit GENTILIS *de legat. lib. II. c. 15.* Familia quoque noſtra et famulitium idem cum Domino forum regulariter ſortiuntur, priuilegiatum etiam, ſi quo tali iſte gaudeat. *vid.* STRIKY *diſſ. de jure domeſt. c. 5. §. 3.* quemadmodum et aliis priuilegiis dominorum, in quantum quidem eorum fert conditio, potiuntur. *vid.* LUDOVICI *diſſ. de jure et jurisprud. domeſt.* Quidni ergo multo magis Principi propria jurisdictione gaudenti ſalua maneat poteſtas in comites ſuos, ex perſona ſui domini omne aliud forum reſpuentes, in alieno licet territorio cum Principe deprehendantur? Inde Chriſtina Sueciae quondam Regina Monaldeſchium proditionis conuictum in Gallia ad mortem condemnauit. Multo illuſtrius, et recentioris memoriae exemplum praebet Rex Sueciae CAROLUS XII. qui in territorio turcico ſummam poteſtatem in ſuos libere exercuit, ne intercedente quidem, multo

minus

minus impediente Imperatore Ottomanico. Quid ergo obſtat, quo minus Principi vel in alieno territorio ex aequalitate ſuam conſtare immunitatem pronunciemus?

§. XXII.

Vidimus hactenus perſonas Rectorum ciuitatum, eorumque comites ab omni jurisdictione Imperantis, cujus territorium ingrediuntur, exemtos eſſe (§. 19. 21.) jam rubricae inſcriptio poſtulat, vt de judice competente legatorum diſpiciamus, quatenus ſcilicet illi jure gentium ſint priuilegiati? Supra (§. 5.) euictum dedimus, legatos ſiue charactere repraeſentatio ſpeciali, ſiue generali indutos ſimulacra eſſe imperantium, eos apud gentem, intra cujus pomoeria ſubſiſtunt, reipublicae ſuae imaginem repraeſentare, eademque vi ac efficacia commiſſa ſibi expedire, ac ſi is, cujus negotia tractant, praeſens cuncta ipſe ageret perficeretque. Quod ſi autem ſummi Principes nullum agnoſcant ſuperiorem niſi Deum (§. 17.) hincque nec jurisdictioni, et judiciis, quae in alia republica exercentur, ſint ſubiecti (§. 19.) legati quoque cuiuscunque generis ab omni jurisdictione Imperantis, apud quem legationem obeunt, ſunt immunes.

Haec eſt illa magni Grotii ſententia, qui *lib. II. cap. XVIII. §. 4. de Jur. B. et P.* legatum a Prin-

Principis admittentis jurisdictione eximit hisce verbis: *Quare omnino ita censeo, placuisse gentibus, vt communis mos, qui quemuis in alieuo territorio existentem eius loci territorio subiicit, exceptionem pateretur in legatis, vt, qui sicut fictione quadam habentur pro personis mittentium, ita etiam fictione simili constituerentur quasi extra territorium.* Idem cum Grotio contendunt, qui eum magno agmine sequuntur, JOAN. GOTTHELFF. FLEISCHER *in diss. de jurisdictione in legatos statuum, eorumque comites S. R. I.* BYNKERSCHOEKIUS *de judice legatorum.* STEPHAN. CASSIUS *Diatrib. de jure et judice legatorum.* AMANDUS CHRISTIANUS DORN *Diatr. de juribus legatorum.* ALBERTUS HEINSIUS HAFFN. *de foro legati delinquentis.* JO. CHRISTIAN. KLÜGEL *diss. de legatorum inuiolibilitate*, qui ad nauseam vsque legatorum inuiolabilitatem ex corpore juris Romani et canonici demonstrat. VLR. HUBER. *de ciuit. lib. III. sect. IV. cap. II. de legatis.* In castra GROTII transit etiam ZIEGLERUS, qui *in not. ad h. l. ad verb. Quare omnino ita censeo*, Ego, inquit, „ ita censeo delicta leuiora dissimulan-
„ da esse. Propter atrociora; quae principali-
„ ter in priuatorum vergunt iniurias ac damna,
„ remittendum esse legatum ad eum, qui mi-
„ sit cum elogio et postulato, vt vel puniatur,
„ vel dedatur; propterea vero, quae directe
„ statum, aut dignitatem Imperantis laedunt,
„ non puniri tantum posse legatum, sed etiam
„ occidi ab ipso illo Principe, ad quem missus
„ est. *Ad verba: quasi extra territorium)* Id cer-
„ tum est, Principem in alterius territorio con-
„ sistentem suam adhuc retinere Maiestatem,
„ nec propter discessum ex prouincia sua alte-
„ rius fieri subditum. Idem dicendum de eius
„ legato. At, quando Princeps ille hostilia
„ molitur in alterius territorio, et populum in
„ conspirationes, ac seditiones concitat, du-
„ bium apud me nullum est, et capi eum posse,
„ et occidi, non quidem vt subditum, sed vt
„ hostem. Nec aliud dicendum hic erit de eius

„ le-

„ legato. Nec deficit defenſor juſtae cauſae
„ egregius Jo. A FELDEN *in annotatis ad hunc*
„ *locum Grotii.* Haec, quae autor tradit, in-
„ quit, non ex praeſumto placito gentium recte
„ colligi videntur, ſed ex hypotheſi naturali-
„ ter conſequi. Quum enim ipſae gentes, aut
„ Reges, quae iisdem praeſunt, colloqui com-
„ mode non poſſint propter intercedentes ini-
„ micitias, neceſſe eſt, mandatarios conſtitui,
„ qui eosdem repreſentent. Vnde conſtat, ſi
„ legati quid deliquerint, puniri eos non poſſe,
„ quia eorum perſonae accidit repraeſentare
„ aliquem, in quo jus puniendi nullum habe-
„ mus. Nec fictione aliqua hic opus eſt, quum
„ ex mandati natura hoc manifeſtum ſit. Quare
„ recte autor tradit, remittendum eſſe legatum
„ ei, qui miſit, vt is aut puniat eum, aut
„ noxae dedat.

§. XXIII.

Et ſane valde in lubrico locaretur ſalus legatorum, ſi actuum ſuorum rationem alii reddere deberent, quam a quo mittuntur; quia, quum plerumque diuerſa ſint utriusque partis conſilia, vix eſt, vt non ſemper aliquid dici poſſit, quod criminis accipiat ſpeciem. Quid? quod ſi legatos jurisdictioni gentis, ad quam venerant, ſubiiciendi, atque hac ratione immunitatem eorum violandi licentia eſſet, cuilibet noxae facilis daretur cauſa, ſcilicet culpa legati. Satius itaque erit aduerſus hos publicos nuncios, ne eos ad ſcabella vulgarium peregrinorum detrudamus, neminem audire, praeſertim quum tantae ſit neceſſitatis il-

lorum

lorum inuiolabilitas, atque immunitas, vt admissa contraria opinione omnis pax, et quies e coetu mortalium eliminanda foret, propterea, quod inter hostes non alia sit componendi dissidium via, quam per legatos. Hac de causa etiam factum esse arbitror, vt, cum congressus orbis Christiani, qui fuit Nouiomagi, instaret, foederati Belgii ordines Edictum publicarint, re antea diu, multumque controuersa, ne liceret crediti, aliaue causa legatis vllam creare molestiam in jus vocationis, aut arresti, quod dicitur, vel alterius incommodi ex jurisdictione proficiscentis. *vid.* HUBER. *cit. loc.* §. *14.*

§. XXIV.

Porro legatos a lege ciuili qualicunque atque ab omnibus oneribus, quae ex ea promanant, exemtos esse, et recta ratio docet, et quotidiana loquitur experientia. Vnde prono fluit veluti alueo, eos etiam a poena esse immunes, ita enim impunitas immunitatem sequitur, vt, vbi nulla lex, ibi neque obligatio, neque poena existat, et cui imperare, cui legem ferre, et quem ad eius obseruantiam cogere nequit imperans, illum neque punire possit. Ita vis justa, qua tranquillitatem et securitatem publicam defendunt imperantes, licet reliquis omnibus, qui

in

in ſocietate viuentes ea gaudere cupiunt, fieri et poſſit, et debeat, legatis tamen extra caſum neceſſariae defenſionis inferri nullo modo poſſet, quin iniuſta fieret.

§. XXV.

Huc dubio procul reſpexit GROTIUS (a) dicens: *coniectura hinc ſtat. Verius enim eſt, priuilegia ita intelligenda, vt aliquid tribuant vltra jus commune, quod ſi legati ab iniuſta tantum vi eſſent tuti, nihil in eo magni eſſet, nihil praecipui.* Ex his verbis facile colligas, Grotium titubare, atque vacillare, vel quod fundamento ſatis ſolido deſtitueretur, vel quacunque alia de cauſa fidenter, quod ſentiret, pronuntiare non auderet. Nunc enim coniecturam adpellat, quod firmis argumentis, et concluſionibus ex iniubio principio inferre potuiſſet, nunc priuilegia, quae tamen juris gentium naturalis ſunt, in quo priuilegiis locus non eſt, ut adeo ZIEGLERUS ad hunc locum bene notauerit, quod ſanctitas, et immunitas legatorum non videatur eſſe a priuilegio, ſed potius a qualitate repraeſentatitia, quam ipſis induunt mittentes.

(a) *Lib. II. cap. XVIII. §. 4. n. 4.*

§. XXVI.

Excuſari quidem Grotius ſuo modo poſſet, quia omnis ratiocinatio per mode-

destiam, qua aliquis suo ingenio atque judicio minus, et plus lectoris calculo tribuit, conjectura dici potest, sic et quae jure naturae, et gentium alicui competit immunitas, qua legibus ciuilibus excipitur, priuilegium respectu ipsius Dei concedentis, et reliquorum omnium, qui priuati juris, et sub legibus sunt ciuitatis, anologice adpellari fortasse poterat, quo sensu qui regalia, et quaeuis jura principum priuilegia diceret, forte non satis adcurate loqueretur, neque tamen vel ipsis Principibus tantam moueret bilem, quantam in Grotium ob hanc Phrasin euomuerunt eius antagonistae. (a)

(a) Inter hos vehementissimus est PRESBEUTA, vero nomine HENNIGES *dict. loc.* qui et coniecturae vocabulum exprobrat, et hypothesin de priuilegio adsumens causam Grotii sub formula, quod dicitur, diiudicat. Sed ne dicam nimis formularium, certe iniquum agit cognitorem, eo quod adsertum Grotii ad absurdum deducere conetur, dicendo: *si justa in me vis est, iniustum erit alterum impedire velle, quo minus jure suo utatur.* Atqui Grotius non dixerat, quod vis illa iusta esset in legatos, quod ex eius hypothesi plane concidi nequit, et iamiam explicauimus, qua ratione ex mente illius vis iusta respectu inferiorum, iniusta sit respectu legatorum. (§. 24.) Id adhuc notandum, quod non videatur bona fide agere Presbeuta, qui Grotii verba in hunc torquet sensum, quasi *turpium et impunitatis priuilegium legatis tribuatur*, quod neque Grotio, neque sano vlli in mentem venire vnquam potuit. Nam qui ab vno aliquo foro immunem, eiusque respectu impunem legatum

facit, non ſtatim omnimodam impunitatem, et licentiam concedit peccandi, quum et in ſua ciuitate reuocatus puniri poſſit, et diuinam diuini iuris poenam effugere, aut quocunque declinare priuilegio prorſus nequeat.

§. XXVII.

Quidquid ergo contra Grotium in ſequentibus declamet Presbeuta, vbi ſcelera, quae a Legatis committi poſſint, graphice depingit, nobis ille adeo formula cecidiſſe non videtur, vt potius ex genuinis iuris naturae, et gentium principiis euinci poſſe credamus, legatos ab omni vi, adeoque quoad poenam immunes, hoc eſt, in qua verſantur republica impunes eſſe, quidquid delicti commiſerint. Sunt enim hi oratores proprii imperantis miniſtri, a cuius nutu pendent, et cui omnium actionum ſuarum rationem reddere tenentur; praeterea gentem nullius arbitrio ſubiectam, et cuique alteri aequalem durante legatione repraeſentant; neque vt peregrini priuati, ſed vt perſonae publicae, quae cum extraneis in ſtatu naturali viuunt, alienum ingrediuntur territorium. Nefas igitur foret, rerum priuatarum aut delicti commiſſi obtentu eos in negotiis publicis gerendis perturbare.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Eodem plane modo quum, qui in Principis ſunt comitatu, iurisdictionem illius domini, in cuius territorio commorantur, non agnoſcant, (§. 21.) comites etiam ipſorum legatorum, id eſt, qui in legati legationiſue officio deprehenduntur, tali iurisdictioni non ſubſunt. Et quum admiſſo legato ea omnia conceſſa intelligantur, quae ad finem delati ſibi muneris obtinendum requiruntur, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, ea, quae de immunitate legatorum dicta ſunt, ad eorum quoque comites pertinere, (a) quorum tamen numero non ſunt habendi, qui legatum comitantur, non vt inſtructior ſit legatio, ſed vnice, vt lucro ſuo conſulant, inſtitores forte, et mercatores.

(a) Conſentit *Cl.* GROTIUS *l. c.* §. 18. *comites quoque*, inquiens, *et vaſa legatorum ſui generis ſanctimoniam habent, ſed acceſſorie, et quatenus legato videtur. Itaque ſi quid grauius deliquerint, poſtulari a legato poterit, ut eos dedat, quodſi tamen nolit, vi abſtrahendi non ſunt.* Ex quibus ſatis, quae ſit mens Grotii, adparet, ſed notanter tamen adiecit haec verba: *acceſſorie* ac *ſui generis*, vt demonſtraret, hoc forum priuilegiatum quidem ipſis competere, ſed non eodem modo, eodemque neceſſitatis gradu, ac competit ipſis legatis: gaudent enim comites et domeſtici hoc priuilegio per modum acceſſionis ſaltim ex perſona domini, non vero principaliter ex ſua perſona, quae acceſſorie duntaxat

taxat ſancta eſt, hinc etiam facilius comes foro loci ordinario ſubiicitur, ſed tamen ex voluntate ipſius legati, *quatenus legato videtur*, i. e. quatenus in forum loci ordinarium conſentit. Solent enim legati ſaepe ultro domeſticos foro loci ordinario pumiendos offerre, ad conciliandum ſibi tam Principis, penes quem agunt, quam populi amorem. Quod ſi vero hoc nolint, *vi abſtrahendi non ſunt*. Huc ſpectat edictum illud Monaſterii ab omnibus legatis, ad hoſce tractatus anno 1648. ibi habitos, miſſis, ordinatum, ac conſtitutum, per quod vltro domeſticos ſuos ordinariae Magiſtratus Monaſteriensis iurisdictioni ſubiecerunt, quod opus non fuiſſet, ſi iam tunc iure gentium legatorum domeſtici forum loci ordinarium agnoſcere obligati fuiſſent.

§. XXIX.

Legati itaque eorumque comites licet exemti ſint ab imperio et jurisdictione, hoc tamen tantum ſit reſpectu gentis, apud quam legationis munere defunguntur; quo caſu gentis, a qua miſſi ſunt, faciem adferunt, eius loco habentur, et ſic quoque eius juribus frui debent. Intuitu enim gentis, a qua mittuntur, ſubditi ſunt, quippe obligati imperio eius actiones adtemperare. Quapropter nihil aliud reſtat, quam ut ſuae gentis, vel Principis imperio et jurisdictioni parere neceſſum habeant. Quod ſi ergo in territorio, in quo legationis munus obeunt, deliquerint, aut aes alienum contraxerint, neque legibus ſtatuta poena adfici, neque ad ſolutio-

nem

nem cogi, aut arresto detineri possunt, sed estigentis mittentis, vt satisfactionem genti admittenti, aut solutionem creditoribus procuret.

Adsunt quidem exempla, quae legatos debitorum causa detentos fuisse nos edocent. De nuntio apostolico id adfirmat WERLICHIUS *in Chronico Augustano.* Et quem fugit exemplum legati Moscouitici anno 1708. Londini Britannorum eandem ob causam sub dissessum suum a mercatoribus detenti? Ast quum non omnes ii, qui legatos debitorum causa detinere posse contendunt, illos iurisdictioni loci subiiciant, et jura legatorum summatim non sola exemplorum copia plene definiat, sed certae potius regulae sint praemittendae, ex quibus de illorum fundamento adaequato nobis constet: *vid.* THOMASIUS *in spec. jurisprud. judic. cap. 3.* neque nostro casu ex allegatis exemplis, quid justum, quidue iniustum sit, vnice aestimari potest, hincque nec iis aliquid roboris inesse, demonstrata probant. Laude dignissimas hanc in rem ad Imperatorem Russorum datas Annae Britannorum Reginae litteras reperies aqud PFEFFINGERUM *Tom. I. p. 421. ad Vitriar.* quibus, reprobato ciuium suorum conatu, quamlibet satisfactionem procurare promisit. Quin et hac de causa Oratorem extraordinarium Moscouiam facinus detestaturum ablegauit, qui demandato sibi munere eleganti oratione habita defunctus est. Legatorum bona in alterius imperio, an et quatenus per arrestum forum tribuant? partim ex hactenus deductis facile liquet (§ 28.) partim pleniore tractatione absoluit BYNKERSCHOEK *de foro legatorum cap. 16.*

§. XXX.

Ceterum legati, quia Principum suorum sunt simulacra, et sic quoque eorum ju-

ribus gaudent, (§. 22.) recte ſibi jurisdictionem in ſuos comites ſumunt; (*a*) licet, quum legatos mandato Principis mittentis obedientes eſſe opporteat, (§. 29) nonnunquam fieri poſſit, vt ille ſibi jurisdictionem reſeruet, praeſertim, quum ad legationis eſſentialia ſiue neceſſaria requiſita non pertineat. Si ergo legati comitem peccaſſe contingat, eundem aut legatus ipſe coercere, non tamen poena capitali adficere poteſt, aut in Principis ſui regionem, vt is poenam de eo ſumat promeritam, remittere, aut a ſeruitio dimiſſum magiſtratui, vt ferat ipſe ſententiam, aut latam executioni mandet, tradere tenetur. (*b*) Quod facere poteſt, ſi ipſe illum adſumit, dimittitique pro arbitrio, quodſi alterius conditionis ſit, ab ipſo forte Principe lectus, vt eſt ſecretarius, et ſcriba legationis, conſultiſſima ratione introductum, vt eum vincire, et vinctum tranſmittere ad ſuum Principem praeſtet, quum officialis ſit mittentis, ideoque non jam familiae, ſed legati jure cenſeatur.

(*a*) Id quod legatis a Principe ſemper tacite relictum praeſumitur, quum, quae regulariter inſunt, quaeque communiter intelliguntur, nullam expreſſam declarationem deſiderent. Agnita eſt haec legatorum poteſtas, atque jurisdictio in art. praelim. Vltraiect. *art.* 7. Si nihil tale conuenerit, nulla magiſtratus loci in eos erit juris-

jurisdictio. Neque adeo dubitandum est, quin recte Hispaniarum Rex prohibuerit, ne liceret hominibus legati Veneti, qui Madriti duos Hispanos occiderant, seu domi suae, seu foris manum iniicere, apud WICQUEFORT. *Sect. 28. p. 885. et seqq.* Legatus Franciae apud Anglos capitis sententiam dixit contra comitem suum homicidii reum, et alius eiusdem Regni legatus, quum Hagae comitum vim foeminae nocte quidam famulorum suorum intulisset, eundem a praefecto vigilum interim in custodiam receptum inde euocavit, ne jurisdictioni suae subtraheretur. Quantis motibus captura famulorum legati Regis Lusitaniae in Hispania, qui vinculis publicis homicidam liberauerant, ansam dederit, historiae gnaros haud latet. Quomodocunque se res habeat, in eo sane peccarunt Hispani, quod sua auctoritate famulos legati in vincula coniecerint, etiamsi ipse legatus quoque culpa non caruerit. *Vid.* Europäischer Staatssecretarius *P. XV. p. 218.*

(*b*) Egregie hanc in rem disserit legatus Suecicus: daß er nämlich keine jurisdiction über sich erkennen könne, und daß er hingegen allezeit bereit seye, seine Leute, so eine Unordnung verursachen, auf eine exemplarische Weise abzustrafen, oder derjenigen jurisdiction zu übergeben, wo sie delinquiret, sobald er sie aus seinem Dienst gelassen, und ihnen seine Livree abgenommen. *Vid.* Staatskanzley *Tom XLV. p. 628. et 634.* Et Orator Regis Daniae ita philosophatur: So wenig nun Jemanden unbewußt seyn kann, daß, woferne ich ihm keine Justitz gegen meine Bediente wiederfahren lassen, er dießfalls bey Ihro Königl. Majestät in Dänemark sich hätte über mich beschweren sollen, nicht aber eigenmächtig meinen Bedienten arretiren zu lassen, und dadurch jura legatorum, und die ihnen über ihre Bedienten zustehende jurisdiction zu infringiren befugt gewesen. Staatskanzley *Tom. XLV. p. 585.*

§. XXXI.

Reliquum eſt, vt ad eas tandem aliter ſentientium rationes, quibus ſententiam ſuam de judice competente legatorum eorumque comitum firmant, ſtabiliuntque, cogitationes, et calamum inflectam; Henrici Cocceji, Juſtini Presbeutae, aliorumque, quae ponderis aliquid habent, objectiones aequis lancibus adpenſas, quantum eſt in me, trutinaturus.

§. XXXII.

Ac primo quidem dicunt, ſanctimoniam, et inuiolabilitatem legatorum qua talium non inferre plenariam exemtionem a jurisdictione ciuili, et criminali gentis illius, intra cuius pomoeria oratores ſubſiſtunt, quod immunitas illorum quoad ſubſtantiam talis, et jure naturae praecepta determinari debeat ex ſcopo et vſu legationis, ac per conſequens referatur ad negotia et jura publica, quae legatus ſibi demandata et adquiſita habet; jam vero tale negotium certo non eſſe contractum, aut delictum legati, ſiue jus fallendi fidem naturalem contractus, aut delinquendi; igitur immunitatem legati quoad ſubſtantiam talem, et jure naturae praeceptam haud quaquam referri

ad

ad contractus, et delicta in loco legationis commissa.

§. XXXIII.

Enimuero non negamus, legatum commissa sibi negotia tractare, et perficere posse, quamuis vel criminali, vel ciuili, vel etiam vtrique foro territorii, ad quod accedit, subiiciatur; facile quoque largimur necessariam non esse omnimodam immunitatem ad legationis essentiam, quum alias nec conuentione fieri posset, vt orator Principem admittentem pro competente judice agnoscere teneatur, nec splendidi hujus muneris prouincia ei posset demandari, qui jam est subditus loci, in quo ei legatio obeunda iniungitur, propterea quod non sit in eius arbitrio positum priorem conditionem exuere; verum si in admissione legati nulla facta sit exceptio, si imperans admittens subjectionem sibi stipulari ommiserit, immunitatem hanc ab omni imperio et jurisdictione per se inesse omnino statuendum est, vt adeo iniustum foret sub delicti, vel non seruati contractus obtentu, aut alius cujuscunque priuatae rei causa legatos in gerendo publico negotio perturbare.

§. XXXIV.

Neque maioris momenti eſt, quod aiunt: ſi Princeps in alterius territorio delinquens ibidem a ſupremo territorii domino comprehendi, detineri, et puniri poteſt, vt vlterius nocendi facultas eidem eripiatur, et a laeſionibus porro inferendis abſtrahatur, quidni idem in legato obtinebit, quum miſſi non poſſit eſſe maius priuilegium, quam ipſius domini mittentis, et repraeſentanti plus juris nequeat competere, quam ipſi repraeſentato, praeſertim, quum legatus, quidquid ſplendoris habet, a charactere illo repraeſentatitio mutuetur.

§. XXXV.

Nam longe fortius de ſecuritate ius gentium cauet legatis, quam ipſismet Principibus, quia pluris gentium intereſt illorum perſonas eſſe ſanctas et inuiolabiles in alterius territorio, quam horum. Hoc quidem ambabus, vti dicitur, largimur manibus, ſi legatus Principali ſuo ampliora praetendere vellet honorum ac dignitatum priuilegia, abſurdum fore, quod tamen ſi faciat quoad ſecuritatem et immunitatem, nihil illum a ſana ratione alienum poſtulare adfirmamus ob claram diuerſitatis rationem, quae intercedit

dit Principem inter ac legatum, quod videlicet nullius plane neceſſitatis ſit (an vtilitatis vid. ſupra (§. 3.) cit. COMINAEUM (*a*) et BOEKLER. (*b*)) Principem ipſum territorii ſui finibus excedere, reipublicae negotia apud hoſtes, vel exteros procuraturum, quum omnia per legatos expedire poſſit, abſque legatis vero nullam pacem, (§. 2. 23.) nullas inducias, nec foedera (§. 2.) iniri poſſe in aprico eſt; quare etiam majori ſemper cura ac ſollicitudine gentes de inviolabilitate legatorum, quam Principum alibi degentium ſanciuerunt, illamque in maiori ſemper atque hanc ſanctitate ac reuerentia habuerunt. (*c*)

(*a*) *Lib. III. comment.*

(*b*) *cit. diſſert.* §. 25. *et ſeqq.*

(*c*) Prolixius hoc oſtendit. ZOUCHEUS *dic. tract. de leg. delinq. jud. cap. 4. p. 64.* vbi Albericum Gentilem argumentum a Principe ad legatum inprobantem defendit, dicendo: quod ius gentium magis proſpiciat legationibus, vtpote frequentioribus, et maxime neceſſariis, quam Principum inter ſe congreſſus, qui ſunt plerumque voluntarii, et rarius vſurpantur, quodue jure gentium, quo legati ſancti ſunt et immunes, plus ſecuritatis iis, quam ipſis regibus ſit indultum.

XXXVI.

Accedit et illa differentiae ratio, quod legatus ob delicta, aut violatam contractus

ctus fidem ad Principem remissus, ab illo condigna adfici poena, vel dedi possit; Princeps vero ad suos dimissus, a quo puniri, aut dedi possit, habeat neminem. Ex quo illud jam manifesto colligitur, Principem in alterius territorio delinquentem facilius quam legatum comprehendi, et detineri posse, hincque non procedere argumentum a Principe delinquente ad delinquentem legatum, quum quoad dignitatem comparari quidem possint, non vero quoad securitatem, quam legatis longe majorem deberi §. praecedente demonstravi, quae tamen in maximo versaretur discrimine, si statim ob quaeuis delicta legati in loco delicti puniri possent (*a*)

(*a*) Elegantia hanc in rem inueniuntur verba apud CAESARINUM FÜRSTENERIUN *in cit. tract. cap. 6.* dicentem: *legatus neque ob delicta spoliari, neque ob crimina puniri potest, domino suo stat, caditque: contrario semel admisso, parata erit seges praetextuum; vt vario juris colore violari possint legati.* Posito itaque, sed non concesso, Principem aduenam ob delicta foro loci ordinario subiici, non tamen ab illo statim firmiter infertur ad legatum ob manifestam diuersitatis rationem. Quamuis nunquam etiam persuaderi potuerim, ut crederem, quod gentes Principem in alterius aula, vel territorio morantem, et qua Principem admissum, territorii foro submittere voluerint, quemadmodum fusius supra (§. 19.) demonstrare conatus sum; quidquid enim contra delinquentes, et laedentes Principes tunc suscipiunt, id omne faciunt jure defensionis, quo aequa-

aequalem contra aequalem a natura inſtructum eſſe ſcimus cum ignariſſimo quoque, vt adeo ſuperuacaneum ſit ad praetenſam jurisdictionem capere refugium.

§. XXXVII.

Argumentum, quibus ſuam fulcit ſententiam HENR. COCCEIUS, (*a*) illud maximum pondus habet; quod ſumma poteſtas Principis eo communiter extendatur, vt omnia in omnes in ſuo poſſit territorio, adeoque vim juſtam in quoslibet exercere, quum nemo ſe ſubducere poſſit. *Primum igitur*, inquit, pro *certo indubitatoque tenendum, quod jure naturae ſumma cujusque territorii poteſtas ſe extendat ad omnia quae ſunt, et quae fiunt in eo territorio.* Quod adſertum probat a poteſtate generis humani in vniuerſam terram. *Conſtat enim*, ait porro, *ſummam illam, et abſolutam humani generis poteſtatem in hanc terram, vnde nihil, quod non excedit modum humanum, exceptum eſt, non numero hominum, ſed terrarum finibus in plures ciuitates ita diuiſam eſſe, vt non certis hominum capitibus, ſed vnico territorii regionibus definiatur, nec aliter definiri poſſet. Haec igitur ſumma ciuitatis poteſtas tantundem intra eius fines valet, ac totius humani generis in vniuerſam terram: quin nihil aliud eſt, quam ipſa illa humani generis ſumma poteſtas in plu-*

res

res ciuitates distincta, et cuiusque ciuitatis finibus circumscripta,

(*a*) *loc. cit. cap. 2. §. 4. et 5.*

§. XXXVIII.

Haec ingeniosa sunt, fateor, vtrum thesi aliquam lucem foenorentur, nec ne, qui volet, judicet, robur sane nullum addunt, et nihil ejus probant, quod erat probandum. Non dicam, quod ipsa illa argumentandi ratio a toto ad quamlibet illius partem, nihil concludat siue physice siue moraliter. Quod totus homo potest, id singulae eius partes seorsim non possunt. Vna legio, vnus tribunus non potest, quod dux ipse cum vniuerso exercitu. Singularum foederati Belgii prouinciarum, singularum Heluetiae ciuitatum non eadem est seorsim, quae omnium simul ac vniuersae reipublicae potestas, et ab orbe vniuerso ad vrbem nulla sane valet consequentia. Sed ne in topicis ac triuialibus haerere videamur, rem ipsam examinemus. Quid ergo potest Vniuersum humanum genus in hanc terram? An eius potestas se extendit ad omnia, quae in eo sunt et fiunt? Plurima sunt et fiunt in visceribus terrae, inque eius superficie, in quae nihil omnino potest,

teſt, et in ipſam terram quantillum poteſt?

§. XXXIX.

At, ais, ſi defectu virium, propter imperfectionem, et impotentiam naturalem, omnia non poteſt phyſice, poteſt tamen moraliter, quia jus habet faciendi, quod poteſt. Sed de hoc etiam maxime dubito, neque enim jus habet abutendi creaturis, licet poſſit. Hic autem quaeſtio imprimis de hominibus eſt, non de reliquis creaturis, vt adeo adſeri videatur, quod vniuerſum genus humanum jure naturae poſſit omnia in ſe ipſum, i. e. quod ſit ſui juris, quod neminem habeat ſuperiorem, cuius teneatur legibus, et extimeſcat poenas. Id vero falſum eſſe, totum jus naturae docet, quod vel ex rectae rationis dictamine ſuperiorem Deum, et officia, quae ſibimetipſi debet homo, ex lege imprimis honeſtatis, tum etiam ex reliquis innumeras alias obligationes demonſtrat, et poenas, vt adeo humanum genus jure naturae in ſe ipſum omnia certe non poſſit, imo ne in vnum quidem aliquem hominem. Ad minimum, in quo cardo rei voluitur, vim, quam vocant, juſtam neque ſibi ipſi, neque proximo facere, et obſeruantiam legum

natu-

naturalium neque coactione, neque coercitione exigere, nec transgressores punire in illa naturali hominum aequalitate potest vniuersum humanum genus.

§. XL.

Perperam itaque a potestate generis humani in hanc terram, et ex jure naturae stricte dicto vim justam seu potestatem, quam vocant territorialem deduxeris, sed necessario nobiscum ad jus naturae gentium recurrendum erit. Ex hoc autem, intercedente pacto ex consensu ciuium, juri sibi natura competenti renuntiantium, plurima potest Princeps, sed non omnia, neque in omnes. Quaedam enim plane non potest, quia omni renuntiare juri, et id mediante pacto in alium transferre non licet. Quaedam in quosdam potest, nempe in eos, qui juribus suis naturalibus connatis independentiae, aequalitatis, aliisque renuntiarunt, et se imperantis arbitrio subiecerunt, quos inter haudquaquam esse oratores exterarum gentium tam clarum est, vt nulla prorsus demonstratione opus sit.

§. XLI.

Superest aliud Cocceianae sententiae munimentum, ad quod, qui illi suffragan-

gantur, veluti ad ſacram anchoram omnes confugiunt; nimirum omnes peregrinos adeoque et legatos territorium exteri Principis ingredientes ſubditos effici ſaltim temporarios, quandoquidem ſub ea tantum conditione admittantur, vt ſummum illius territorii Principis imperium in ſuam etiam perſonam agnoſcant. Verum haec etſi de aliis peregrinis adeo vera ſint, vt nemo illa ſanae mentis negare audeat; in perſona tamen legati locum habere, conſtanter nego, ac pernego. Vti enim peregrinus priuatus non niſi ſub lege ſubiectionis admitti praeſumitur, ita pro legato, qui etiam in loca tranſitus imaginem Imperantis aequalis refert (§. 5.) contraria pugnat praeſumptio, vt quamuis ſit in territorio, tamen ſub territorio non eſſe cenſeatur, quae legati conditio *extraterritorialitas* vulgo audit, *ne ab officio ſuſcepto legationis auocetur, et ne impediatur legatio.* (*a*) accedit, quod legatus in territorium Principis, ad quem miſſus, non veniat, vt alius aduena, ſuae ſecuritatis, vtilitatis et commoditatis quaerendae, ſed puplicae tranquillitatis inferendae aut promouendae, ac ſocietatis ſtabiliendae cauſa. Quum autem ne in alios quidem peregrinos, qui eius ſuperioritatem ſponta neo acceſſu vtique agno-

uiſſe, et in ſe transtuliſſe praeſumuntur, Princeps omnia aequaliter poſſit, vt in ciues et innatos ſubditos, quid ergo in hunc poteſt, qui eius nunquam in ſe agnouit imperium, neque ei ſe ſubmittere praeſumi poteſt? juri ſane, ſi quod in eum habuiſſet, renuntiaſſe cenſetur, facta ante eius aduentum denunciatione, et ſubſecuta venientis admiſſione.

(a) L. 24. §. 2. et. l. 26. D. de jud.

§. XLII.

Aequalis eſt mittens admittenti non in huius territorio, ſed in ſuo, quum quaeuis poteſtas intra limites ſui territorii ſubſiſtat. In eodem territorio non poteſt eſſe, niſi vna ſumma poteſtas, vt vel Rex aliquis alterius territorium ingreſſus priuatus fiat. Haec contra legatum delinquentem vrget diſſert. Luderizio-Cocceiana §. 16. et 17. Presbeuta ex eodem titulo eum damnat, §. 98. admiſcens quaedam de jure puniendi hoſtem, et exempla aliquot ſubnectens, vt de Maria Scotiae Regina, et aliis.

§. XLIII.

Aſt ſpecioſorum magis, quam ſolidorum argumentorum hic eſt adparatus; non enim tanti ſunt, vt non facile dilui

atque

atque euerti poſſint. Nam mittentem inter, et admittentem eſt aequalitas vel naturalis et moralis, qua homo eſt uterque, in ſtatu naturae liberrimo, non niſi diuinae poteſtati ſubjectus, quem qui humanae per vim ſubiicit inuitum, is iniuriam facit, et in legem naturae diuinam grauiter delinquit; vel ciuilis, et proportionis, qua Rex eſt vterque, et aliis ex pacto imperat. Illa quidem aequalitas etiam in alieno manet territorio, cuius beneficio aeque mittens ac legatus admittentis eximitur iurisdictione. Haec quoad exercitium imperii ceſſat, non autem quoad ius, illud domi ſuae in ſuos exercendi. Manet itaque vna in vna ciuitate poteſtas ſumma, quam alter in eam exercet, alter in ea habet quidem, ſed non in eandem, neque exercet, niſi in ſua ciuitate.

§. XLIV.

Proinde ſumma illa poteſtas non impedit, quo minus Rex peregrinus in alieno territorio et immunitate, et impunitate, quin et poteſtate ſumma in ſuos quoad eos ſaltem actus, qui in proprio territorio effectum ſortiuntur, gaudeat, modo in illud neque inſcio, neque inuito domino, hoſtili ratione et animo venerit,

ſic enim legato plus tribuendum foret, ac ipſi Regi, vt ſupra (§. 35.) luculenter oſtendimus. Si tamen maxime concedendum ſit, non eſſe niſi vnam poteſtatem ſummam, id confecimus, eam ſe in omnia omnium non extendere, (§. 40.) Vnde ſaltim exemtionem admittat, neceſſe eſt, et immunitatem ac impunitatem regis peregrini eiusque legati (*a*).

(a) Quoad ius, et poteſtatem in hoſtes, Presbeutae mox ſatisfiet; exemplum Mariae Scotae, quae apud Eliſabetham in Anglia non tam jure aequalitatis, quam hoſpitalitatis gaudebat, hic plane non quadrat, et non ab aliis tantum ſaeuitiem in proprium ſanguinem exprobrantibus, ſed et ab ipſo Presbeuta improbatur. Innumera in contrarium adducere poſſem exempla, quemadmodum etiam ſupra (§. 21.) duo allegaui, ſi iisdem in mere moralibus rem confici poſſe exiſtimarem; aſt quoniam probe memor ſum illius: auctores, qui inter contraria, et pugnantia incerto veluti iactati pelago fluctuant, refutatione aliorum non indigere, ſed informatione ac principio, ſeu norma ad quam ceu Helicen ſua de contrariis exemplis componant, dirigantque iudicia, vt e dubiis emergant; exemplis his abſtinere ſatius duco.

§. XLV.

Sed ut tandem ad PRESBEUTAE objectiones, quas diuerſas a Cocceianis habet, animum aduertam; labefactare is ſententiam meam adgreditur ea ratione,

quod

quod legatus delinquens innocens non ſit, praeſertim quando Principi vel aperta vi, vel ex inſidiis inſultauit; ſi eius conſeruationem vel immediate, vel mediate impediat, turbando tranquillitatem praeſentem, vel futuram factionibus, conſpirationibus, aut tumultibus, et quacunque alia via, qua ad res nouas ſubditi concitantur, inque ſuum caput vel viſcera armantur ac ſolicitantur; ſi denique omnes iuris naturae leges, tum iuſti, tum honeſti, tum decori migrauit, et turpiter violauit, promeritum itaque eſſe, qui atrociſſimum ſupplicium, et cruciatus exquiſitiſſimos, atque Perilleo excogitandos ingenio ſuſtineat, ac plane pereat.

§. XLVI.

Pereat! non patrocinabor, dummodo ei iuſtitia fiat, ita vt ex lege, quam violauit, pereat, a legislatore, vel iudice competente condemnetur, et a ſuperiore plectatur. Princeps autem, aduerſus quem deliquit, et pars laeſa eſt, et aequalis; gens itidem vniuerſa. Quo minus huius iudicio pereat, obſtat recta ratio, et lex aequalitatis. Haec non patitur, vt in ſuperiorem te erigas, nolenti imperes, et legem feras, aut ſententiam capitalem in aequalem hoſtem, multo

minus vt in hunc talem nouam poenam, quam ius naturae ignorat, ſtatuas, et exemplum non tam iuſtitiae, quam vindictae, cupiditatis, et arrogantiae in Deum, et aequales, dum, quod ille ſibi ſolus reſeruauit, omnibus negatum mortalibus, tu tibi arrogas.

§. XLVII.

Atqui legatus, qui legem aequalitatis primum violauit, iure aequalitatis excidit? Hoc palmarium eſt argumentum, quod in forma Syllogiſtica contra legatos vrget Presbeuta, (*a*) vbi tamen loco aequalitatis ponit ius gentium, et quidem, vt in reliquis videndum, cerebrinum illud, quod eſt ex conſenſu voluntario. Sed fac exciderit aequalitatis iure, et beneficiis legatus delinquens! largior ipſe, indignum eſſe protectione, et impunitate, quae ex illo reſultat. Quid deinde? *Ex facto ſuo forum delicti ſortitur.* Ita, ni omnia me fallunt, nimis praecipitanter concludit Presbeuta. Nam illud ne in ſtatu quidem civili (*b*) procedit, multo minus in naturali gentium.

(*a*) l. c. §. 100.

(*b*) Id ut eo magis illuſtremus, ponamus homicidam crimine publice patrato profugum, impetratis a Principe litteris ſalui conductus, dum cauſam dicere iubetur, exceptionem fori decli-

na-

natoriam adferre, eo, quod iudices omnes, vel plerique ſint ſibi dudum inimiciſſimi, aut eius, quem occidit, propinqui atque cognati, aut alia quacunque de cauſa iuſta et legitima ſuſpecti, vel ſaltim incompetentes. Ponamus facinus ipſum atrox fuiſſe, et manifeſtum, vt nemo dubitet, quin reus ſuccumbat in ſui defenſione, et beneficio ſalui conductus excidat, an propterea forum competens, et iudex legitimus, qui ſuſpectus non ſit, denegabitur? an incompetenti, illegitimo, ſuſpecto, inimico interrogandus, iudicandus, damnandus tradetur? an conciues, et aequales eius ideo, quia indignum ſaluo conductu iudicant, eum hoc beneficio ſpoliabunt, principe inconſulto carceri includent, ac pro lubitu cauſam eius iudicabunt?

§. XLVIII.

Et amabo! quis ſanae mentis eo temeritatis procedet, vt dicat, minoris eſſe beneficia iuris naturalis et diuini, quam ciuilis, et humani? Diuinam Maieſtatem non laedi eo, quo laeditur imperantis poteſtas? Legatis ferendum eſſe, quod priuati ferre non debent? Hoc ſemel admiſſo quid obſtat, quominus Principem, quem tyrannum, criminibus pollutum, adeoque indignum eo faſtigio et beneficio, quo ab omni humana poteſtate immunis eſt, iudicet vel gens ipſa, vel vicinus, quem laeſit Princeps, in ordinem cogat, ſuo ſubiiciat foro, ſua damnatum ſententia puniat, et vel capitali adficiat ſupplicio? Id omne ex argumen-

to

to formali Presbeutae ſequitur, cuius concluſionem negari non poſſe a Wicquefortio dicit, quia praemiſſae ſint ipſius auctoris.

§. XLIX.

Nec quisquam dicat, a legato forum, ſi quod iure gentium habuit priuilegiatum, amitti delinquendo, propterea quod, qui in legem committit, fruſtra legem inuocet; (*a*) adeoque etiam legatum, qui contra ius gentium deliquit, fruſtra ex iure gentium aduerſus delicta quaerere praeſidium, ſed renuntiaſſe potius videri foro priuilegiato ſibi competenti, ſeque foro delicti ſubieciſſe. Procederent enim haec argumenta in illo, qui ex propria ſua perſona praeſidium aliquod ex iure, in quod deliquit, praetendit, legatus vero iuris gentium priuilegiis gaudet, non tam ex perſona propria, quam ex qualitate repraeſentatitia, qua dominum, et Rempublicam ſuam refert, atque hinc ſi delinquendo renuntiaret priuilegiis, non ſuo, ſed pro alio intraducto renuntiaret fauori, Quid? quod leges patrocinentur etiam illi, qui violauit, vt ſaltem laeſus aequalis poteſtatem non habeat mihi inſultandi, vindictam in me propria auctoritate exercendi, atque poenam pro lubitu

bitu infligendi, ſed ſolummodo ex lege conueniendi in foro competente, et coram ſuperiore, penes quem eſt cauſam cognoſcere, ſecundum eius merita, legum beneficia diſpenſare, nocentem punire, innocentem abſoluere.

(a) *L. 37. D. de minor.*

§. L.

Tandem id quoque telum, quod non pauci in me ſtringunt, retundendum eſt; intereſſe ſcilicet reipublicae ſontes ad ſupplicium trahi in loco delicti in terrorem et exemplum aliorum, ne alii in ſimilia deinceps proruant delicta. Enimuero *vtilitati, quae ex poena eſt, longe praeponderat ſecuritas legatorum*, (a) ſeu maius commodum in Rempublicam retundat ex ſanctimonia et inuiolabilitate legatorum, quam ex vnius forte legati poena in loco delicti in exemplum, et terrorem aliorum impoſita; accedit, quod ſubditi delinquentes ex impunitate legatorum nullum ſibi quaerere poſſint praeſidium et ſolatium, probe gnari, quod a legatis iure gentium priuilegiatis, ad ſubditos, qui iure ciuili magis reguntur, non valeat argumentum.

(a) *Grotius cap. 18. §. 4. n. 4.*

§. LI.

Quibus igitur difficultatibus, et obſtaculis, quae obuerſari ſententiae meae videbantur, e via remotis, finis demum huic diſſertationi imponendus eſt. Conſtitutum equidem erat ad romanarum legum de legatis ſancita conſideranda attentius, et momentis ſuis ponderanda aliqualem operam meam aduertere: quum vero, qui ciuilibus hic digladiantur legibus, cum Andabatarum more certent, et innocuos in aëra vibrent ictus, quibus legatos, extra ciuilis teli iactum poſitos, nequicquam impetunt, riſum potius mouere videantur, quam bilem, non eſt, quod cum eis depugnemus, quoniam omnem eorum vim hoc vno eneruare poſſumus, quod Imperator non Orbi ſed Vrbi, et iisdem demum, qui illi ſuberant, leges ferre potuerit. Meum iam eſt, dum in portum delatus ſum, DEO ſupremo rerum omnium ſtudiorumque Moderatori votiuam ſuſpendere tabulam, Eique totius, ſi qua futura eſt, vitae meae ac ſtudiorum rationes votis incitatiſſimis commendare.

O. A. M. D. G.

et obſta-
meae vi-
s demum
ſt. Con-
narum le-
nda atten-
anda ali-
re: quum
ntur legi-
certent,
, quibus
n poſitos,
otius mo-
non eſt,
niam om-
re poſſu-
i ſed Vr-
uberant,
eſt, dum
ſupremo
oderatori
Eique to-
ae ac ſtu-
nis com-

Inches
Centimetres
TIFFEN® Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black